

S · G · B · T · B ·

1 · 6 · 8 · 1 ·



z. B. A. h

Wm / A

J. q. 259.



26
COLLEGII SECUNDI
In Augustanam Confessionem

DISPUTATIO XI.

continens

ΑΝΤΙΘΕΣΙΝ ΑΡΤΙCΥΛΙ ΙV.

DE QUÆSTIONE

An omnia bona Opera
hominis Justificati sint pecca-
ta mortalia,

Proposita

In inclutâ Electorali Academiâ V Vittebergenſi,

P R Æ S I D E

JACOBO MARTINI, SS. Th.

D. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito:

R E S P O N D E N T E

M. CHRISTOPHORO BULÆO

Kötzschenbroda Misnico.


Habebitur in Auditorio Collegii Veteris

Ad diem 8. Novembr.

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AVERBACH,

ANNO M DC XXIX.





Continuatio.



Equitur nunc quarta quæstio, à Becano mota, nempe: *An omnia opera bona hominis justificati sint peccata mortalia?* De qua hac disputatione agemus: & quam procul & hic à vero absint Pontificii, demonstrabimus.

THESES.

I. Initiò tribuit Becanus Calvino hoc paradoxum: *Omnia opera hominis peccatoris esse mortalia.* Hancq; Calvinii sententiam esse, demonstrare conatur ex lib. 3. Instit. c. 14. §. 4. ubi sic loquitur: *Habemus, ne unum à sanctis exire opus, quod, si in se censeatur, non mereatur justam opprobrii mercedem.*

II. Ubi Becanus porrò monet, notandum esse particulam *in se*, & addit, *id idem esse, quod ex natura sua*, undè ejusmodi sensum colligit: *Omnia opera justorum, si in se, & secundum naturam suam spectentur, mereri justam opprobrii mercedem.*

III. Addit Becanus adhuc alterum locum ex eodem capite Calvinii §. 11. ubi sic scribit: *Duobus his fortiter insistendum, nullum unquam extitisse pii hominis opus, quod si severo Dei judicio examinetur, non esset damnabile. — Adhæc, si tale aliquod detur (quod possibile homini non est) peccatis tamen, quibus laborare autorem ipsum certum est, vitiatum, & inquinatum gratiam precedere.*

IV. Ex his Calvinii verbis colligit Jesuita has tres propositiones: Prima. *Omne opus hominis sancti, & pii, si in se, & natura sua spectatur, est damnabile, & meretur justam opprobrii mercedem.* Secunda: *Non esse possibile homini pio, ut faciat aliquod opus non damnabile in se.* Tertia; *si esset possibile homini pio, ut faceret aliquod opus in se non damnabile; tamen fieret damnabile ex parte hominis operantis, qui, cum sit plenus peccatis, corrumpit, & vitiat omnia opera.*

A 2

V. Ex

V. Ex his suppositis sequi pergit Becanus, *omnia opera justorum ex sententia Calvinii duplici nomine esse damnabilia. Primò in se, & ex natura sua. Secundò ex parte operantis. Si autem damnabilia sunt, certè etiam mortalia sunt. Hinc (addit) alibi docet Calvinus, legem Dei esse impossibilem, quia scilicet omnia opera nostra, quibus legi satisfacere conamur, sunt vitiosa, & immunda, ideoq; non sufficiunt ad veram legis observationem.*

VI. Verum enimverò per latus Calvinii tangit, & ferit Jesuita ipsum Lutherum; quippè qui asseruit, *In omni opere bono justum peccare. Itaq; omnia bona opera esse totidem peccata venialia: & venialia quidem, non natura sua juxta definitionem Papisticam; sed misericordia Dei. Eadem ergo est mens, & sententia Lutheri.*

VII. Quam verò, ut rectè percipiamus, nec imposturis hujus Sophistæ seducamur, benè notandum, ac tenendum est, bona opera humana dupliciter posse considerari: vel abstractè, vel concretè. *Abstractè, & sic absolutè in sua bonitatis ratione, quatenus ab omnibus circumstantiis cogitando abstrahuntur, & absolutè in se considerantur. Uti olim Stoici considerabant in se virtutem, nempe secundum ipsissimam suam & absolutam naturam; sicq; non nisi perfectam ex omni parte: Similiter & Plato omnium rerum ideas ponebat æternas, quarum perfectionem nulla unquam res assequatur: Et Aristoteles summum bonum definebat, quod esset operatio, sive actio animæ rationalis secundum virtutem optimam, & perfectissimam in vita perfecta. Sanè ejusmodi felicitatem nemo in hac vita obtinebit, expectamus nos Christiani in altera æterna vita. Concretè autem sumuntur, & considerantur non simpliciter in illa bonitatis ratione, sed ut sunt in subjecto, quod diversum, & multiplex quæ esse; proindeq; cum circumstantiis pensantur: undè ipsa quoque & multa & varia existere possunt, imò existunt: hoc est, considerantur non tam qualia esse debeant, quam qualia existant, ac fiant ab ea natura, à qua fiunt. Ut non occidere hominem absolutè sumptum, bonum est: Sed quando accedit hæc circumstantia, quod homo sit homicida, tum non occidere hominem est malum, homini in Magistratu constituto. Sic*
audire

audire verbum Dei simpliciter bonum est, sed sine attentione, sine
studio discendi audire, & sic quando in individuo hæc adjacet cir-
cumstantia, malum est. Eleemosynas dare absolutè bonum est,
sed ostentationis causa illas dare malum est. Certum ergò est, quod
circumstantiæ id, quod absolutè bonum est, ac dicitur, in ma-
lum mutant. Sic bona opera in universum, ut absolutè sumun-
tur, sunt bona, sed ratione subjecti, objecti, & similium cir-
cumstantiarum mala fieri, & esse possunt.

VIII. In circumstantiis hæc etiam est, quod opera illa
sint, & fiant vel ab homine justificato, vel non justificato. Si
hos & ipsorum opera conferas, & à justificato justitiam impu-
taram abstrahas, invenies apud non justificatos, & ipsos Ethni-
cos sæpius excellentiora opera, quàm apud Christianos. Hinc
Erasmus magnificè Ethnicorum virtutes prædicat: Socratis,
Ciceronis, Attici &c. & (ut inquit, & allegat Lutherus in Com-
ment: Latino in Genes. c. 28. non procul ab initio) facit com-
parationem. Vix, inquit Erasmus, invenies apud Christianos, qui
præstiterint hoc, quod Pomponius Atticus, aut alii. Imò apud Christianos
multi inveniuntur aperte mali, & flagitiosi, quibus Ethnici hi longè fuerunt
meliores.

IX. Hæc, inquam, vera sunt, & negari non possunt, si ab-
strahantur hæc opera, uti dixi, & sic abstractè conferantur: Si
verò rursus jungantur cum suis subjectis, & efficientibus,
tum minima virtus, ac opus hominis Christiani, & justificati,
longè præstantius est, & excellentius præstantissimâ virtute cu-
juscunque Ethnici, ac infidelis; non quidem ex se, neque ex ra-
tione, ac natura subjecti, sive efficientis, sed ex eo, quod effi-
cienti accidit, nempe quod justificatus est.

X. Hinc pergit eo loci Lutherus. Respondendum est autem,
Philosophicè, & in materia conveniunt, hoc est, in genere vitæ, sed non in
specie, & differentia. Si enim vel Cicero, vel Socrates sanguinem sudas-
sent; tamen propterea non placent Deo. Neque est quæstio, quæ, & quan-
ta opera fecerit Alexander Magnus, Hannibal, Julius Cæsar, Scipio: quos
quidem majores res gessisse constat, quàm ullum unquam Christianum.
Illud enim robur militare, patientiam irem, & tolerantiam malorum, &
labo-

laborum, non facile reperies in ullo Rege Christiano, imò ne quidem in populi Israelitici Regibus, Davide, & alius. Quare igitur non extollis eos, aut prefers omnibus Christianis Regibus, Davidi, & alius?

XI. Respondet Lutherus, si daretur mihi optio, eligerem unius Christiani rustici, aut ancille sordidissimum, & maximè agreste opus præ omnibus victoriis, & triumphis Alexandri Magni, Julii Caesaris, &c. Quare? Quia hic est Deus, illic diabolus, quæ est differentia essentialis. Materia operum est eadem, sed species, & differentia in infinitum diversa est, quia Deus dicit: hujus mulierculæ opera, & officia domestica, quod verrit domum, obtemperet matrifamilias, mihi placent. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ubi etiam nihil magnorum, & gloriosorum operum est, nisi quod domi humiliter fungitur officio ancillæ, sive in re culinaria, sive pecuaria. Tales erant istæ duæ, Lea, & Rabel, quæ pascebant greges patris, agebant aquatum, mulgebant vaccas, & capras. Hæc opera placebant Deo. Hannibal autem, Alexander, Scipio, Cicero non placent. Quare? Quia genere quidem conveniunt, vel superant potius, sed specie, & differentia superantur.

XII. Pergit Lutherus: Hoc non omnes possunt cernere, ne Erasmus quidem vidit. Soli credentes cernunt precium, & pondus operum Christianorum. Pondus autem & precium maximum operum est fides, & verbum. Ibi enim Deus ipse est, & spiritus in operante. Homines verò, qui sunt sicut equi, & multi vehementer moventur externâ specie. Ego quoque olim in monachatu longè eram sanctior, quam nunc sum, quod ad externam larvam, plus orabam, vigilabam, abstinebam, macerabam carnem meam: breviter! tota vita mea erat speciosissima in aliorum oculis: tamen in meis non item, quia valdè contritus, & afflictus eram: Jam verò comedo, & vestio generali, & usitato modo, nihil præcipuum, aut singulare præ aliis in vita mea eminet. Tum, cum essem Monachus, nihil aliud feci, quam quod perdididi tempus, affluxi meam valetudinem, quin etiam conscientiam meam sancivi illis injustis operum, ut etiamnum egrè sanari queat. Quia præter naturam, cui insita est gloriatio de operibus, etiam comparavi habitum, & consuetudinem respiciendi ad mea opera, & dignitatem meam. Ceterum certò scio jam unum lectionem, unum pater noster, plus valere, & Deo magis probari, quam omnes illas preces, quas murmuravi totis
quin-

quindecim annis: quia scio me exaudiri: Nec opus est ullis vigiliis, aut singularibus jejuniis, & abstinentia, quia Deus dedit angelum Satanae, cum aliis difficultatibus, & crucibus hujus mundi, quae magis me, quam illa omnia, exercent. Haecenus Lutherus.

XIII. Haec ideo ascribere volui, ut intelligatur 1. quomodo etiam secundum mentem Lutheri circumstantiae actiones, & operationes varient, adeo, ut ea, quae secundum externam speciem videantur bona, imò excellentia, bona saepius in se, & natura sua non sint: cum non exactè congruant cum voluntate summi boni: quae congruentia tantum veram boni rationem constituit. 2. Quod Lutheri mens non sit, bona opera, cum primis Renatorum, simpliciter esse mala; sed suo certo modo, respectu, ac ratione certarum circumstantiarum esse praestantissima, & in conspectu Dei preciosa, & accepta: nempe respectu fidei, verbi, & Spiritus Sancti, qui & hominem agentem & opera sanctificat. 3. Quod Lutherus quoque concedat, imò & ipse Calvinus ultrò largiatur, bona opera à lege Dei ita proponi, juberique; ut nihil vitii admixtum habeant, sicque per seipsa Deo judici placere, ejusque severissimum judicium, & examen sustineri queant: interim uterque etiam asserit, hanc humanæ naturæ corruptæ fragilitatem esse, ut nulla ejusmodi opera dari possint ullius unquam puri hominis, ut non deflectant plus, minusve ab exacta legis divinae regula; vel ut non cum ejusmodi imperfectionibus sint conjuncta, vel omnino, ut non ab imperfectè operante proficiantur. Jam autem certum est, quod omne opus bonum, & sic Deo per se placens, perfectum esse debeat: Contra verò id, quod à perfectione sua debita deflectit, & à lege Dei exorbitat, sit *avopia*, proindeque peccatum, adeoque Deo per se, & in se placere nequeat.

XIV. Hoc igitur sensu locutus Lutherus, & eum secutus Calvinus: Nunquam enim dixerunt *bona opera simpliciter esse peccata*: Sed ille: *In omni opere bono justum peccare*. Iste verò: *Ne unum quidem ex sanctis exire opus: quod si in se censeatur, non mereatur justam oppro-*

opprobrii mercedem. Uterq; ergò concretè bonum opus considerant, ut & quatenus ab homine, adhuc peccatis inquinato, proficiscitur; sicq; ajunt, ac statuunt, illa aliquem defectum, vitiumq; inhærens in se, & natura sua particulari continere, nec absolutè, perfectèq; bona esse.

XV. Quare terminus *in se* tantum describit, ac determinat opera, ut ab homine peraguntur, & existunt, distincta à misericordia Dei, & imputata justitia Christi, & sic à persona justificata quidem dependentia, sed abstractè, non quidem à persona, ejusq; peccatis, sed, inquam, à misericordia tantum Dei, & justitia Christi imputata. Sic autem accepta, sunt cum aliqua imperfectione omnia, &, ut diximus, plus minus deficient: ratione igitur hujus defectus (qui certè est exorbitatio à Lege Dei) quem in se habent, per se, & in se Deo placere nequeunt, proindeq; nihil mereri nisi iram, & sic opprobrii mercedem.

XVI. Aristoteles quidem, & Ethici, etiamsi tradant, virtutem esse *ἐν μέσῳ*; faciunt tamen quandam illius mediæ latitudinem, ut non statim in vitio esse statuatur, qui paululum ad dextram, vel sinistram, ad excessum, vel defectum suo habitu vel actionibus à medio hoc deflectat: idq; indè: vidit enim sapientissimus hic Philosophus, planè *ἀδύνατον* esse, hominem dari, qui medium illud exactè observare, & tenere possit: quare ejusmodi virtutem, virtutisq; actionem describere, & præceptis suis commendare voluit, quæ dari posset, & in homines caderet. Non ergò juxta Aristotelem, & Ethicos in vitio statim, sive peccato est, qui paululum à medio deflectit. Undè Philosophus dicit: *Quemadmodum una hirundo non facit ver; sic neque una actio facit habitum*, & sic unus in actionibus error defectus, vel excessus non statim facit, juxta illius mentem, errantem, vel peccatorem.

XVII. Verùm longa alia ratio est legis divinæ. Illa enim *μέσότης* exactissimam, imò adeò perfectam, ut sit in pacto indivisibili, in omnibus actionibus, cogitationibus, habitibus &c. requirit: quando quidem ipsa ejusmodi indivisibilis norma, ac regula est, ut quicquid non exactissimè cum ea consentiat,

tiat,

tiat, sed in minimo defleat, erratum, & peccatum judi-
cerur.

XII. Atque sic in se, non quidem Ethicè, & Philosophi-
cè ab Aristotele, & qui hunc sequuntur Pontificiis, sed verè, &
Theologicè à Luthero, & omnibus, à verbo Dei rectè institutis,
dici possunt bona opera, etiam justificatorum, peccata, & po-
tius æternam damnationem, quàm vitam æternam mereri, quia
aliter à justificato non proficiuntur, sed semper in se, & natu-
ra sua particulari ejusmodi defectum adjacentem habent, &
involuunt. Quando verò sumuntur, ut in justificato conjun-
cta sunt cum misericordia, & justitia Christi acquisita, tum o-
mninò optima, & præstantissima censentur, Deoq; placentia:
quia quod illis deest, id justitiâ, & sanctitate Christi comple-
tur, defectusq; totus tegitur, ut à justitia Dei, neque accusari,
neque persona propter illum damnari queat. Quare etiam ne-
quaquam, ut justificatorum sunt opera, merentur opprobrium:
sed habent promissionem hujus, & æternæ vitæ.

XIX. Falsum itaq; est primum *πρόσωπα*, quod ex verbis
Calvini colligit Becanus: Statuere, vel Calvinum, vel Luthe-
rum, bona opera justificatorum sua natura esse mala, & pecca-
ta mortalia; cum id illis tantum per accidens tribuant, nempe
ratione adjacentis defectus, ac imperfectionis, & sic quatenus
in concreto, non verò in abstracto considerantur: Quo sensu,
si accipiantur, secundum & tertium concedere possumus.
Quandoquidem opus bonum perfectum, quod planè nihil ex
ratione mali admixtum habeat, in hac imbecillitate carnis nul-
lus mortalium edere potest. Licet ergò concedamus, nullum
bonum opus esse peccatum, non tamen est sine peccato. Quia
itaque Papistæ, & hic noster Becanus, iidem de bonis operibus
in concreto loquuntur: quando illis tantam affingunt perfe-
ctionem, ut nihil omninò admixtum habeant ex ratione mali,
neque ullo modo recedant à rectitudine præscripta in lege: con-
stat, quod horum opinio veræ nostræ sententiæ orthodoxæ è
dimetro opponatur, neque ulla fallat homonymia.

XX. Orthodoxam autem nostram esse sententiam, nemo

B

nega-

negabit, si intellexerit, quod cum Scriptura sacra, omnium controverfiarum de fide iudice, & religionis veræ norma, ex affe consentiat. Ecclesiastes cap. 7. v. 21. scribit: *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet, hoc est, qui faciendo bonum non peccet.*

XXI. Respondent Jesuitæ, & negant hanc nostram interpretationem, sed significare ajunt, neminem tam justum esse, qui non peccet aliquando saltem venialiter, at non, qui non peccet tum, cum agit benè: Verum Becanus fatetur, posse ad hunc locum aliter responderi: *Respondeo, inquit, illa verba dupliciter intelligi possunt: primò nullus est justus, qui semper faciat bonum, & non aliquando peccet.*

XXII. In qua Responsione notetur, statuere Becanum, illum sensum, quem isti tantum volunt, non esse necessarium, imò & hoc benè notetur, hunc nostrum sensum à Becano non confutari ullo argumento ex contextu: Quid? quod Augustinus à nostris stet partibus Epist. 29. quæ est ad Hieronymum: *Virtus est charitas, qua id, quod diligendum est, diligitur: Hac in aliis major, in aliis minor, in aliis nulla est: plenissima verò, que jam non possit augeri quamdiu hic homo vivit, est in nemine; quamdiu autem augeri potest, profecto illud, quod minus est, quam debet, ex vitio est. Ex quo vitio non est justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.*

XXIII. Imò ipsa Emphasis verborum hunc sensum facit necessarium; aliàs enim verba illa (*Qui faciat bonum*) nihil opus erat exprimi, si duntaxat is significandus esset, qui aliquando peccet, non semper: quando quidem sufficiebat, *justum* nominari hoc modo: *Non est homo justus in terra, qui non peccet: nempè aliquando peccet: Quia verò additur, qui faciat bonum, necessum est emphaticam eo addi limitationem ad ipsum opus bonum, nempè, quod etiam tum peccet, quando bonum opus hinc in terris faciat. Quæ emphatica determinatio ex similibus locutionibus est clara, ac manifesta. Non est homo tam devotus in terra, qui oret, & non avertatur aliò: Cui non videbitur sententia hac id significari, neminem esse, qui non inter fundendum ipsas preces aliò rapiatur. Res, & veritas certa est.*

XXIV. Audiatur etiam Esaias cap. 64. v. 6. *Facti sumus, ut im-*
mundi

mundi omnes, & quasi pannus menstruata universa justitia nostra. Quæ
sanè verba tam sunt disertæ, & emphaticæ, ut nullâ planè expo-
sitione indigere videantur. Omnes, inquit: Ergo haud dubiè
etiam justî, sive justificati: nam in iis Propheta, *immundi sumus*.
Ne verò id ita dici propter peccata, in justis sæpè recurrentia,
sibi quis (ut Jesuitæ, & cæteri Papicolæ) imaginaretur; ecce,
addit *justitiæ nostræ*, id est, opera nostra, quæ bona censentur, &
dicuntur: omnes ergò hæ justitiæ: quidnam sunt? Deo gratæ,
& quidem per se? imò quasi pannus menstruata. Cætera cogi-
tent cordati: profectò neque Lutherus, neque Calvinus hic
quicquam adjicere potuit.

XXV. Hinc Bernhardus quoque de verbis Esaiæ serm. 5. planè
eodem modo locum hunc intelligit, & interpretatur, quando
in hæc verba definit: *Nostra, si qua est, humilis justitia, recta forsân,
sed non pura, nisi fortè meliores esse credimus, quam patres nostros, qui non
minus veraciter, quàm humiliter dicebant, omnes justitiæ nostræ, tanquam
pannus menstruat e mulieris. Quomodo enim pura justitia, ubi non potest
adhuc culpa deesse?*

XXVI. Ergò juxta Bernhardum 1. dubitatur, an detur
justitia recta in justificatis? 2. Et si detur, non tamen sit pura, &
sic perfecta. 3. Et quia pura, & perfecta non est, neque sine
culpa, proindeq; sine peccato sit.

XXVII. Respondet quidem Bellarminus dupliciter 1. Ex-
poni locum Esaiæ aliter, quam ab aliis patribus. 2. Triplicem statui justiti-
am: *Unam rectam, sed nec puram, nec firmam: alteram rectam, &
puram, sed non firmam: tertiam, rectam, puram, & firmam. Rectam
illorum, qui non consentiunt peccato. Hanc ultimam esse Angelorum; se-
cundam Adami ante lapsum. In nobis primam, qua recta est, quia possu-
mus non consentire peccato; sed non pura, quia peccavimus in Adamo, &
saltem venialiter peccamus: non etiam firma, quoniam possit amitti.*

XXVIII. Primùm, hanc esse privatam Bernardi inter-
pretationem, falsum est. Nam Hieronymus quoque eodem
modo de hoc loco sentit, quando in ipsum sic scribit: *Sive juxta
Hebraicum, qui semper fuimus in peccatis, tuâ tantùm salyabimur miseri-
cordiâ, qui per nos immundi sumus; & quicquid videmur habere justitiæ,*

panno sedentis sive menstruatæ mulieris comparatur. Et Dionysius Carthufianus in pent. 142. Quid est, quod Ezechias, Hieremias, Judith, alii multi leguntur, suis coram Deo justitias, atq; perfectiones precipuas allegasse? Et respondendum, quod non simpliciter, sed humano modo se justos dixerint, scientes utiquè, quod omnes eorum justitiæ essent coram Deo, sicut pannus menstruatæ.

XXIX. Tres illas, sive species, sive gradus justitiæ distingui, & ita distingui concedamus. Sed in primum illum, qui noster est in hac vita primò à se Bellarminus induxit peccatum veniale; quod Bernhardus neque nominat, neque ullo indicio notat: Imò id contra cæteros Papistas omnes statuit; qui nequaquam concesserunt, justitias nostras propter venialia similes esse pannis menstruatæ; uti neque ipse Bernhardus, qui interim hoc disertè dicit. Deindè in verbis Bernardi non reperitur esse in nobis justitiam rectam, quâ possimus non consentire peccato. Posse forsan in nobis esse justitiam rectam dubitativè, & quadam concessione indigat: id verò longè aliud, quàm si categoricè esse dixeris. Tertiò dixit, si non consentiamus peccato: verùm quis disputator tam subtilis, qui indè benè eliciat significationem, posse nos non consentire. Quid? quod verba Bernardi contrarium dicant: *Non potest adhuc culpa deesse.* Unde enim sic argumentamur. Cui non potest deesse culpa, illud est à consentiente: At actioni justæ non potest deesse culpa: Ergò est à consentiente: Major probatur: Quia quod in se culpam habet, hoc est, peccatum, & quidem actuale, est in, & à voluntate. Plura non addo: infra enim art. 20. hac de re ex professo agetur, pergamus ad argumenta contraria Becani,

XXX. Hæc Calvinii opinio (inquit §. 2.) refellitur variis modis: Primò, quia nititur falso fundamento. Supponit enim peccatum originale manere in homine justificato, & hoc peccato sic corruptum, & vitiatum esse totum hominem; ut quicquid ab eo procedit, peccatum sit mortale. Hoc constat, partim ex verbis citatis, partim ex lib. 2. inst. c. 1. §. 9. ubi sic habet: Hic tantum breviter attingere volui, totum hominem quasi diluvio à capite ad pedes sic fuisse obrutum, ut nulla pars à peccato sit immunis: ac proindè

proinde quicquid ab eo procedit, in peccatum imputari: sicut dixit Paulus, omnes affectus carnis, vel cogitationes esse inimicitias, & ideo mortem. Sed hoc fundamentum jam ante confutatum est. Nam & originale, & quae alia peccata tolluntur per justitiam, & sanctitatem inherenter, de qua supra disputavimus.

XXXI. Primum fundamentum, quod non tantum à Calvino, sed Luthero quoque nostro hic supponitur, falsum nequaquam esse, sed solidum, ac firmum, demonstravimus supra Colleg. 1. disputat. tertia, & quarta: non igitur est, cur actum agemus.

XXXII. Deinde distinguendum est inter id, quod per se ex originali peccato proficiscitur, & inter id, quod proficiscitur quidem ex alio principio bono, cui tamen peccatum originis adjacet. Illud per se peccatum dici potest, hoc verò minime; sed tantum per accidens: uti etiam per accidens, non ex sua natura inquinatus est pannus menstruatae.

XXXIII. Consequentiam itaque, quam fecit Becanus, committitur vitium syllogisticum *μη ἀπὸ τοῦ τοῦ*. Non enim educitur ex principiis vel Lutheri, vel Calvinii; sed ex propriis fictis hypothefibus. Verba enim Lutheri antea allegata, satis clara sunt: quippe quibus non simpliciter dicit, bona opera justificarum esse peccata, nedum mortalia peccata, sed in omni bono opere justum peccare. Item, omnia bona opera esse totidem peccata (non mortalia, sed) venialia. Quandoquidem quod illis adjacet imperfectionis, tegitur justitia Christi imputata. Neque etiam Calvinus allegato loco simpliciter dicit, omne illud, quod ab eo, qui peccato originali inquinatus est, proficiscitur operis, peccatum esse, sed in peccatum imputari, idque cum primis, quando fides deest, vel non consideratur sive attenditur: juxta illud Pauli: *Quicquid non est ex fide, peccatum est.*

XXXIV. Secundo (pergit Becanus §. 3.) refellitur ex illo dicto Apostoli 1. Corinth. 7. v. 28. *Si acceperis uxorem, non peccasti.* Hic quero ex Calvino, & praedicantibus Calvinisticis, an ipsi mortaliter peccent, accipiendo uxores? Si non peccant, falsum est, quod ait Calvinus, omnia opera justorum esse damnabilia. Si peccant, falsa est Apostoli sententia, non peccare,

*care, qui in uxorem accipit. Imò impia, & sacrilega sunt predicantium
consilia, quibus suadent Monachus, ut accipiant uxores.*

XXXV. Respondemus primùm ad dictum Paulinum, sensum ejus reduplicativum esse, ut in scholis Logicorum loquuntur, hoc modo, *qui ducit uxorem, quatenus vel eo ipso, quod ducit uxorem, non peccat.* Non peccat virgo, quæ nupserit, eo ipso, quod nupserit. Atque sic loqui possumus de omnibus operibus bonis. Si quis frequentat templum, eo ipso, quod frequentat, non peccat; Si quis audit verbum Dei, eò ipso, quod audit, non peccat; si quis utitur sacra cœna, eo ipso, quod utitur, non peccat; Si quis dederit Eleemosynas, eo ipso, quod dederit, non peccat, &c. Quandoquidem phrasæ hujusmodi significant rationem, propter quam aliquid vel fit, vel est peccatum, non esse hæc ipsa, quæ sic nominantur opera: quippè, quæ vel de ipsis hypocritarum operibus sic dici possunt. Non enim peccant hypocritæ eo ipso, quod utantur sacra cœna; sed quod non verâ fide utantur: Neque peccant, quod cum cæteris fidelibus audiant verbum Dei; peccant verò, quod non attentè audiant, nec discendi, & custodiendi studio. Sic non peccat quidem virgo, quod nubat; sed quod libidine, & non casto amore mota nubat, peccat.

XXXVI. His ita explicatis, facile est respondere ad consequentias, à Becano fictas. Nam licet supponatur, *non peccare, qui ducit uxorem, eo ipso, quod ducit uxorem:* tamen non sequitur: *Ergo ducendo uxorem non peccat.* Quandoquidem non obstat, quominus peccent, qui hoc, similiaq; faciunt opera; nimirum, quod non benefaciunt. Nam licet non peccet, eo ipso, quod uxorem ducat; peccare tamen potest in illa ipsa actione, ut quod non casto, ac pio affectu, & amore ducat; vel, quod non illam suam actionem tantum in gloriam Dei dirigat; vel, quod tantum utilitatis, vel libidinis, similisvè finis illiciti, ac vitiosi causa ducat &c.

XXXVII. Verum ergò est, quod dicit Paulus: *Qui accipit uxorem, non peccat, nempe quatenus, sive eo ipso, quod ducit uxorem:* Verum etiam est, quod nos dicimus. *Qui accipit uxorem, peccat:*

peccat: quia non simpliciter puro affectu ducit. Quemadmodum utrumq; verum est, & qui Deum amat, non peccat, quatenus, sive eo ipso, quod amat: & qui Deum amat, peccat, quia perfectè non amat.

XXXVIII. Pergit Bezanus: Tertiò refellitur ex illo Matth. 26. v. 10. *Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me.* Hic rursus queritur ex Calvinistis, an Magdalena peccaverit effundendo unguentum pretiosum super caput Christi recumbentis? Si dicitis, peccasse, nec Christi, sed Judæ proditoris sententiæ subscribetis. Nam Christus dixit: *Bonum opus operata est, quod vos negatis: Judas dixit: Ut quid perditio hæc? quod vos defenditis. Si autem non peccasse asseritis, quomodo Calvini sententiæ stare poterit?*

XXXIX. Hic initiò, ut quoque in totâ hæc disputatione circa hanc phrasin, *bona opera*, distinguendum est inter modum rei, & inter modum dicendi. Modus rei varius est, & oritur hæc varietas, ex variis gradibus bonitatis, ut ita quæ bona sint, alia sint ἀπλῶς, & perfectè; alia κατὰ τι, secundum quid, & imperfectè bona. Modus dicendi distinguitur enunciatis absolutis & modificatis. Fieri ergo potest, ut modus enunciandi sit absolutus, intellectus verò verus interdum sit absolutus, interdum modificatus secundum quid: Hinc fit, ut Pontificiis, modum enunciandi sequentes, absolutè enunciata intelligant, quorum sensus verus est modificatus, & quæ secundum quid sint, & sic cum determinatione, ac modificatione intelligi debent bona, absolutè tantum à Pontificiis intelligantur. Quare secundò opera etiam ὁμοιούτως vocantur bona, vel indefinitè omnia, quæ à lege divina mandantur: vel particulariter quædam, nempe quæ à singulis præstantur. Quemadmodum aliud est, virtutem idealiter definire, & aliud virtutem Josephi, vel Scipionis. Sicut etiam aliud est eruditionem laudare, & eruditionem Aristotelis encomiis celebrare: Sic quoque omninò aliud est in genere ac idealiter de bonis operibus loqui; & aliud de bonis operibus Petri, Pauli, Mariæ Magdalena, verba facere?

XL. His rectè sic explicatis & suppositis, facilè responderi pot-

potest ad omnia loca Scripturæ, quæ de bonis operibus expressè & *ἁπλοῦς* loquuntur. Interdum enim Scriptura loquitur de bonis operibus absolutè, & absolutè est intelligenda: quando nimirum non dicit ea facta esse à quoquam, sed fieri debere, ut Matth. 5. v. 16 *ut videant opera vestra bona*, 1. Timoth. cap. 6. v. 18. *Divites fieri in operibus bonis*. Eph. 2. v. 10. *Creati in operibus bonis &c.* Hi loci omnes non dicunt, ista opera à quoquam facta esse, sed fieri debere: ideoq; ut indefinitè loquuntur, sic etiam intelligendi sunt. Certum enim est, nos ita debitores esse legi, ut non tantum inchoemus, sed etiam perficiamus: quod illa bonum perfectum præscribat, & omnibus numeris absolutum. Verum inde non statim concludendum est, nos facere, quia debemus facere. Ita enim Paulus: *Non facio bonum*, inquit, *quod volo*. Interdum etiam Scriptura loquitur de bonis operibus absolutè, sed modificatè & secundum quid est intelligenda, licet modificationem bonitatis totidem verbis non exprimat: atque hoc contingit, quando scriptura loquitur particulariter de operibus hujus vel illius, qui faciat vel fecerit. Quandoquidem simpliciter negamus, hujusmodi bona in scripturâ dici aut intelligi absolutè bona.

XLI. Concedimus ergo libenter scripturam loquentem de operibus Justificatorum factis, etiam modo dicendi absoluto uti; ut in objecto loco Matth. 26. *Opus bonum operata est erga me*. Et Act. 9. *Hæc erat dives bonorum operum*. Et paucis aliis. Proindeq; nequaquam in cōtroversiam vocamus hanc phrasin, sive verba phraseos: quippe qui ignorare non possumus, quæcunq; secundum suos gradus bona sunt, ita solere à scripturâ absolutè dici bona: Illa verò propterea absolutè bona vel esse, vel etiam ita Scripturæ phrasin intelligendam esse, negamus. Nam Lucæ 23. Joseph de *Arimathæa* dicitur *vir bonus & justus Actor*. II. v. 24. *Barnabas vir bonus & plenus spiritu*: imò 1. Timoth. 4. v. 4. *Omnis creatura bona est*. Quibus sanè locis omnibus absolutè bona dici intelligimus, quæ tamen constat absolutè bona non esse, sed tantum secundum quid: Cur ergo de operibus bonis nō idem judi-

judicium? Quod autem secundum quid bonum est & moraliter; id in se sumtum & consideratum in accurato & severo judicio divino bonum censei nequit: Sed tantum bonum dicitur, & à Deo accipitur in respectu personæ operantis, quòd à justificatâ & Deo reconciliata, proindeq; recta peccata habente, proficiantur: Sicq; non tam moraliter & legaliter, quàm Evangelicè bona censeantur: quòd à Spiritu Sancto sint sanctificata per fidem, quâ prædita est persona operans.

XLII. Cæterum consideratur quoque Deus & Christus dupliciter: vel tanquam iudex justus, judicans juxta strictam legem & justitiam suam: vel tanquam pater benignus, respiciens opera nostra oculis misericordiæ ac gratiæ. A Deo ut iudice, constanter dicimus, nulla unquam hominum opera fuisse bona iudicata, ipsiq; placuisse: quantumcunque enim in oculis hominum fuerint bona: imperfecta tamen semper fuerunt inventa, ad amissim Legis divinæ examinata.. De examine hoc loquitur Gregorius Magnus *Moralium* 9. cap. 8. inquiens: *Repente Deus interrogat, cum nos ad districtiorem sui examinis inopinatos vocat. Sed interrogationi illius homo respondere non sufficit: quia in illo examine etiam justorum vita succumbit.* Et cap. II. *Quia etiam si habueris quippiam justum, non respondebo, sed meum iudicem deprecabor. Ve enim sæpe diximus, omnis humana justitia iniustitia esse convincitur, si districtè iudicetur. Prece ergo post justitiam indiget, ut quo succumbere discussa poterat, ex solâ iudicis pietate convalescat.* Docet ergo Gregorius 1. Justitiam hominis in hac vitâ non esse puram: 2. Si à summo iudice districtè iudicetur, non posse consistere, sed ejus merita esse vitium. Quid clarius magisq; directè contrâ Papias? Deo porrò ut patri benigno considerato, negamus ei nihil placere, quòd peccatum sit. Non quidem quâ peccatum, sed tamen quòd peccatum. Ratio est manifesta: Nam actio misericordiæ non est, nisi supposito peccato. Hæc enim causa est, quòd Deus propriè loquendo non misereatur justis, sed peccatoris, nempe condonando peccata. Quocirca placent Deo justorum opera tanquam Patri benignissimo ac misericordi, cum eorundem defectum non imputat.

C

43. Hæc

XLIII. Hæc jam applicentur ad locum ex Matthæo allegatum, & res erit manifesta. Bonum enim vocat Christus opus mulieris; respiciens illud non ut iudex severus, sed ut pater benignus ac misericors. Fuit enim opus illud non sine peccato, quippe profectum à peccatrice, multis, iisq; gravissimis peccatis inquinata; interim quia accedebat verâ in Christum fide prædita, aspexit Dominus ipsam, & opus ipsius, ut diximus, tanquam benignus pater, misericordiâ erga ipsam affectus defecta, sanè maxima, ipsi non imputavit, proindeq; opus hoc tanquam bonum & sibi placens commendavit.

XLIV. Quod autem urget Becanus, nos non posse dicere mulierem peccasse, nisi velimus Judæ sententiæ subscribere, & Christi iudicium repudiare: Sophisticè suo more facit. Quandoquidem neque hoc diximus unquam, neque ut dicamus, ullâ consequentiâ cogi possumus. Quandoquidem strenuè negamus, peccasse mulierem, quatenus hoc opus bonum peregerit, interim concedentes hoc opus non sine defectu & peccato fuisse. Quandoquidem effectus ut non toto genere deterior, sic neque toto genere esse potest melior suâ causâ. Ut ergo defectus fuit in agente, sic quoque fuit in opere: ut ergo propter illum mulier revera fuit peccatrix, sic quoque opus hoc propter eundem, à Christo, si ut severus iudex strictè juxta legem divinam judicare voluisset, potuisset censeri ac dici peccatum: verùm quia (ut diximus) tanquam pater benignus fidem, quâ perdita accedit, respicit, defectum illum neque personæ, neque operi imputat, sed potius tegit ac dissimulat, proindeq; id non peccatum, sed bonum opus pronunciat & commendat.

XLV. Pergit Becanus ad quartum argumentum. Quarto, inquit, refutatur ex illo 2. Petr. i. v. 10. *Satagite; ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis. Hoc enim facientes non peccabitis aliquando.* Hic Petrus primum hortatur nos ad bona opera. At si nulla essent bona, sed omnia mortifera & damnabilia, quomodo ad bona hortari posset? Deinde affirmat eos non peccatores, qui ipsius monita sequantur. At quomodo peccaturi non sint, quorum singula opera sint peccata mortalia?

XLVI. Semp̄r committit Jesuita fallaciam à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter: Nos non dicimus bona opera Justificatorum, quatenus justificatorum, esse simpliciter mala: Sed mala dici posse & esse tantum abstractè, in se ratione imperfectionis considerata: quo sanè respectu ac modo accepta & ad amissim legis divinæ examinata, bonitatem suam tueri non possunt. Cum lex divina tantum id moraliter bonum judicet, quod perfectè bonum est: quod non tantum est bonum, sed etiam benè ac perfectè factum, & à perfectò corde profectum. Ut autem justificatorum opera sunt, non dicimus illa mala esse. Quandoquidem hoc respectu non amplius juxta rigorem legis divinæ consideramus, neque etiam considerare possumus; sed juxta misericordiæ Dei gratiam. Nam licet imperfectionem adjacentem habeant, illa tamen in justificatis propter Christum remittitur, ejusq; justitia imputata ac communicata tegitur: ut nihil amplius habeat lex, quod in iis considerare possit: Sed quiescens in satisfactione Christi, ut personam justam, sic opera à personâ proficiscentia, bona judicat.

XLVII. Quia igitur justificatorum opera, ut justificatorum, revera bona sunt in conspectu Dei, ideoq; Deo grata, nulla consequentia ex nostra sententia inferri potest absurdum, à Becano Calvinio, & per latus hujus Luthero & nobis affictum. Quod enim nos certo modo malum dicimus, id Becanus simpliciter & absolutè malum assumit: indeq; suum absurdum consequens infert, iterum committens vitium Syllogisticum, *μη ὡς ἂν τὸ.*

XLVIII. Deinde quando dicit posterioribus verbis Petrus: *Hoc facientes non peccabitis aliquando*: etiam reduplicativè est intelligendum; nempe *quatenus facientes*. Quatenus enim aliquis bona opera facit, quatenus sunt bona, iisq; suam vocationem facit certam, non peccat: Verum non statim inde sequitur, quod in operibus illis nullo modo & non aliquando peccet. Uti vel ipsi Jesuitæ id concedere coguntur, quippè non docentes, nunquam peccari in bonis operibus, sed tantum non sem-

per: Largiuntur ergo peccari aliquando. Quod verò falsum
esset, & Petrus ipsis contradiceret, si verum absolutè: *Hec si fe-*
ceritis non peccabitis aliquando. Quare non absolutè hoc intelli-
gendum.

XLIX. Pergit Becanus: Quintò, inquiens, refellitur, quia
quando Calvinistæ credunt sibi remissa esse omnia peccata, vel credendo pec-
cant mortaliter, vel non peccant. Si peccant: Ergò per peccatum justifi-
cantur: Si non peccant: ergo mentiuntur. Utrumq; absurdum; sed hoc
tolerabilius est.

L. Ergo principale absurdum hîc à Becano conclusum, &
à nobis attendendum est, quod priori loco infertur, per peccatum
nos justificari. Argumentum in formam Categoricalam resolu-
rum tale erit: Opera justicorum sunt peccata: $\tau\delta$ Credere,
quo justificamur, est opus justorum: Ergò $\tau\delta$ Credere, quo ju-
stificamur, est peccatum: Et per consequens per peccatum ju-
stificamur: Vel hoc modo: Opera justorum sunt peccata mor-
talia: Fides est opus justorum: Ergo Fides est peccatum mor-
tale: At solâ fide justificamur: Ergo peccato mortali justifi-
camur.

LI. Respondemus i. ad Majorem, laborare illam fallaciã
à dicto secundum quid: Opera enim piorum sive justorum non
sunt simpliciter peccata, sed tantum secundum quid peccata
dicuntur: nempe quatenus sunt imperfectè bona. Quemad-
modum aqua tepida, quia imperfectè calida est; dici potest &
calida & frigida, non quidem absolutè & simpliciter: sed tan-
tum secundum quid: Sic de bonis operibus piorum est statu-
endum; dicuntur bona & mala, sed secundum quid. Deinde
negamus quod opera bona justorum, sive justicorum, ut ju-
sticorum, sint peccata mortalia. Est ergo mera calumnia.
Nam hoc significat nullam in iis rationem boni esse. Quis sa-
nus hoc unquam dixit?

LII. Satis nostram sententiam exposuimus, Bona opera
justorum non esse peccata simpliciter, sed κατὰ τὸ, hoc est, esse
imperfectè bona. Atque hoc dicunt & statuunt omnes pii &
orthodoxi: Augustinus lib. 3. contr. duas Epistolas Pelagianorum
cap. 7.

cap. 7. Apostolus & imperfectum & perfectum se dicit. Imperfectum scilicet cogitando, quantum illi ad iustitiam desit, cuius plenitudinem adhuc esurit & sitit: perfectum autem, quod & suam imperfectionem confiteri non erubescit, & ut perveniat, bene procedit. Imperfectio ergo juxta Augustinum est defectus Iustitiæ: Atqui hæc est ipsa peccati definitio. Quocirca imperfectio ista necessario est peccatum: nisi forsan naturam rerum istis Sophistis pervertere liceat. Et Gregorius Magnus Moralium 9. cap. 2. Sanctus vir, quia omnis virtus nostræ meritum esse vitium conspicit, si ab interno arbitrio distinctè judicetur, rectè subjungit: Si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere ei unum pro mille. Et ibid. cap. 18. Si remotâ pietate discutimur, opus nostræ poena dignum est, quod remunerari premiis postulamus. Quæ sanè omnia de singulis iustitiæ actibus sunt intelligenda, & afferunt, his singulis adhærere aliquid peccati. Imò addit Gregorius: Bona, quæ nos habere credimus, purè bona nequaquam esse possunt. Ubi sanè per illud (non posse) & universalis & necessaria indigitatur propositio: nempe omnia bona esse non pura: & omnia esse necessario non pura. Quid? Quod hæc ipsius Pauli sit sententia Rom. 7. v. 18. iniquientis: Velle adest mihi, sed ut quod bonum est perficiam, non assequor. Ubi vis argumenti est manifesta: Si enim opera nonnulla darentur iustorum absolutè bona; utique iusti non tantum vellent; sed etiam assequerentur, ut perficerent. Atqui de se hoc negavit Paulus; de quo ergo speremus assequi?

LIII. In Minore tenendum, quod Fides dicitur & accipitur vel pro habitu sive virtute, vel pro actibus ejus habitus sive virtutis. Fidem ut habitum & virtutem consideratam, negamus esse opus hominis: Est enim peculiare donum Dei. Hinc non cuiusvis esse dicitur 2. Thess. 3. v. 2. Et solus Deus is est, qui efficit in nobis & ut velimus & ut efficiamus pro gratuitâ benevolentia Phil. 2. v. 13. Et non ex volentis nec currentis, sed misereantis Dei Rom. 9. v. 16. Hanc ergo virtutem, quando Spiritus Sanctus in cordibus hominis per verbum accendit & producit, statim adest relatio ad Christum, per applicationem meriti & iustitiæ Christi, sicq; homo justificatur. Actus verò fidei, sive virtutis hujus fate-



mur quidem opera esse hominis, secuti singula alia opera: sed hoc sensu negamus fide nos justificari; quia negamus justificari per ulla opera.

LIIII. Pergit Bellarminus, & §. 4. inquit: *Accedit ratio in Scripturis fundata, quæ est hujusmodi: Arbor bona non potest facere malos fructus: Sed homo justificatus est arbor bona: Ergo homo justificatus non potest facere malos fructus: ac proinde opera, quæ ab ipso procedunt, non sunt damnabilia. Major est Christi Domini Matth. 7. v. 18. ubi ait: Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere. Minor patet ex dictis, quia homo justificatus habet in se Spiritum Sanctum inhabitantem per donum Charitatis, sanctitatis, justitiæ & veritatis, & nihil damnationis in eo reliquum est, teste Apostolo, Rom. 8. v. 1. Qui sunt ergo ipsius fructus? Audi eundem Apostolum ad Galat. 5. v. 22. Fructus autem Spiritus est Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Hi certè fructus non damnabiles, sed boni ac laude digni sunt, teste Christo Domino Matth. 5. v. 4. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur: & sic deinceps. Videant nunc Calvinistæ, cujusmodi ipsi arbores sint, bonæ vel malæ. Si bonæ, bonos fructus facient; quod est contra Calvinum. Si malæ, malos fructus facient, & sic non omninò mentitus fuerit Calvinus.*

L V. Respondemus, principalis Syllogismi conclusionem esse falsissimam, fatentibus aliàs ipsis Pontificiis; quippè concedentibus, nullum esse justum sine peccato. Hoc verò falsum erit, si vera hæc conclusio, *hominem justificatum non posse facere malos fructus.* Sic enim nunquam quisquam bonus peccaret unquam; quod sanè absurdissimum est.

L VI. Quare aut Syllogismus est vitiosus in Formâ: aut alterutra præmissarum est falsa.

L VII. At in Formâ vitiosus non est, quippe legitimè dispositus in primâ Figurâ, & Modo ejus secundo, quem *Celarent* barbaro verbo nominant.

L VIII. Certum autem est, quod per Præmissas veras, in Formâ legitimè dispositas, falsa conclusio nequaquam effici queat. Quia ergo, ut probatum, conclusio falsa, & Forma legitima,

gitima, necesse omnino est, alterutram præmissarum falsam esse.

LIX. Ergo aut Majorem, aut Minorem. Non Majorem; quippe quæ per omnes syllabas ac dictiones est ipsius Christi, qui veritas ipsa, *Joban. 14. v. 6.* & mentiri vel fallere nescit. Necessum ergo est, Minorem, à Becano subsumtam & confictam, esse falsam: *Justificatos esse arbores bonas*: hoc est, in hac parabolâ & allegoriâ per arbores bonas à Christo designari justificatos.

LX. Mirum, Becanum, tantum Sophistam, id non vidisse vel intellexisse. Callidior isto magno Doctore est *Ruffensis*: qui intelligens ex hac Christi propositione, & justificatorum subsumptione sequi manifestè falsam conclusionem, æquipollentem, quæ eodem loco tot syllabis ac literis à Christo proponitur, *omnis arbor bona profert bonum fructum*, substituit, & argumentum ita format: *Omnis arbor bona profert bonum fructum: At omnis homo per gratiam justificatus, est arbor bona: Ergo omnis homo per gratiam justificatus fert bonos fructus, id est, opera, quibus nihil insit peccati.* Quæ conclusio licet falsa quoque sit, speciem tamen veri præ se fert utraq; præmissa.

LXI. Ne ergo & hîc incauti decipiantur, paucis quoque istud resolvere & examinare operæ precium videtur. Quod antequam faciamus, tenendum est; *Bonitatis* concretè cum suo subjecto sumtæ (prout hîc accipitur) gradus esse varios, prout subjecta, hoc est, illi, qui boni sunt, magis minusvè à malo recedunt. Qui simpliciter recedunt à malo, ut Angeli, simpliciter boni sunt: qui verò secundùm quid recedunt, ut homines, etiam justificati, non certè simpliciter, sed secundùm quid boni censendi sunt: qui postea gradibus variis rursus distinguuntur, ut semper alter melior sit altero. Ut igitur & quo gradu quis bonus est, ita & eo in gradu præstat opera bona; & ut bona est arbor, ita quoque boni fructus: quippe quorum bonitas pro bonitate arboris est metienda. Quare quæ arbor perfectè erit bona, feret perfectè bonos fructus: quæ verò imperfectè bona, imperfectè bonos.

LXII. Dicimus ergo ad Majorem: Omnis quidem arbor
bona

Bona fert bonos fructus: sed tamen non omnis arbor bona fert fructus perfectè bonos: quia non omnis arbor bona est statim perfectè bona, ut patet.

LXIII. Minorem quod attinet, posito sed non concessio, eam veram esse, & per arbores bonas intelligi homines justos: rum verò id accipiendum esset de distinctis gradibus in vitâ distinctâ ac in diverso statu. Atque sic in hac vitâ & in statu justificationis, essent quidè justificati arbores bonæ, sed imperfectè bonæ. Deinde verò in alterâ æternâ vitâ & quidem in statu beatitudinis, beati intelligendi essent per arbores bonas, sed perfectè bonas. Erunt enim sicut Angeli DEI in cœlo, *Matth. 22. v. 30.* Quorum neminem errare peccato certissima est veritas.

LXIV. Si ergo in Minore subsanti intelligantur justificati in hac vitâ, nihil potest inde in conclusione inferri amplius, quam justificatos facere fructus, sed non perfectè bonos. Sin verò designentur Beati in alterâ vitâ, infertur quidem isthæ conclusio: Ergo Beati in alterâ vitâ facient fructus perfectè bonos. Sed ut hæc nihil juvat causam Jesuiticam; cum non questio volvatur de Beatis post hanc vitam in cœlis: sed de justificatis hisce in terris, & in militanti Ecclesiâ certantibus: sic illa eandem causam Jesuiticam planè destruit. Nam quod perfectè bonum non est, non exactè & perfectè congruit cum lege DEI; & hæcenus in vicio est.

LXV. Sed ut veritatem antea adsertam repetamus, nec Minor in hoc Syllogismo vera est. Nam Medius terminus, *Arbor bona*, ex Majore in Minore repetitus, & cum justificato, tanquàm subjecto, dispositus, necessariò intelligendus est de arbore perfectè bonâ, ut sensus Minoris sit, *Justificati sunt arbores perfectè bonæ.* Nam in quâ significatione, significationisq; determinatione Medius terminus in Majore ponitur, & quidem in primâ Figurâ subjicitur: sic ἀπλῶς eodem modo debet repeti & prædicari in Minore ejusdem Figuræ.

LXVI. Quod autem terminus Medius in Majore, & sic in propositione Christi, significet arborem perfectè bonam, probatu haut difficile est: Propositio enim illa Salvatoris: O-

mnis

omnis arbor bona fert fructus bonos, licet quoad externam faciem ac formam sit simplex Categorica: interno tamen sensu est exponibilis, ut loquuntur, & quidem in specie Exclusiva exclusi Prædicati: ideoque æquipollet huic: *Omnia arbor bona tantum fert bonos fructus*: Arbor autem bona, tantum ferens bonos fructus, perfecte bona sit necesse est. Nam Exclusiva illa in hanc (ut sciunt Logici accuratiores) resolvitur, 1. *Arbor bona fert bonos fructus*, quam posuit Salvator: & 2. in alteram, quæ hic subauditur: *Arbor bona non nisi bonos fructus fert*. Hæc rursus non potest non bonos fructus ferre: proindeq; non potest malos fructus ferre. Quam postea ἐξρητικῶς ipse Servator addit. Ejusmodi autem arborem perfecte bonam esse necesse est.

LXVII. Sic enim argumentor: Quæcunque arbor non nisi bonos fructus fert & ferre potest, illa perfecte bona sit, necesse est: Atqui arbor bona, quæ in hac parabolâ à Christo introducitur, non nisi bonos fructus fert & ferre potest. Ergo arbor bona, quæ in hac parabolâ à Christo introducitur, perfecte bona sit necesse est. Major est certa: aliàs n. effectus toto genere melior esset suâ causa; & perfectum ab imperfecto produceretur: quod absurdum. Minor probata erit, si certum ac demonstratum fuerit, Propositionem Christi esse sensu suo Exclusivam exclusi prædicati, & ut diximus, huic æquipollere, *Arbor bona tantum fert bonos fructus*: & sic Christum loqui de ejusmodi bonâ arbore, quæ nihil aliud, quàm bonos fructus ferre possit.

LXVIII. Hoc verò probatur. Quia postmodum ab ipso Christo per exegeticam hanc explicatur & exponitur, v. 18. *Non potest arbor bona fructus malos ferre*. Sic ergo argumentor: Quæ arbor bona non potest malos fructus ferre, illa tantum fert bonos fructus: Atqui omnis arbor bona, de quâ in hac parabolâ loquitur Christus, non potest malos fructus ferre: Ergo omnis arbor bona, de quâ Salvator loquitur in hac parabolâ, tantum fert bonos fructus: & per consequens, Propositio Christi v. 17. est virtute seu potestate Exclusiva exclusi prædicati.

LXIX. Unde rursus sic possumus argumentari: Quæcun-

D

que

que arbor bona ita fert bonos fructus, ut malos ferre nequeat, illa perfectè bona sit necesse est: Atqui arbor bona, de quâ hîc agit Christus, ita fert bonos fructus, ut malos ferre nequeat: Ergo arbor bona, de quâ hîc agit Christus, perfectè bona sit necesse est.

LXX. Tertiò, si textus ipse accuratiùs introspeciat, apparet, à Christo opponi δένδρον ἀγαθόν, arbori bonæ, δένδρον σαπρόν; arborem malam, perperam vulgata versio, meliùs putrem, ut Erasmus vertit, ein fauler Baum/ ut Lutherus: possis etiam (dicit Beza in suo commentario majore) cariosam vel marcidam interpretari: rancidam quoque, item vetustate putidam, ut σαπρῶς εἰρήνης, apud Aristoph. de pace. Quare σαπρόν propriè non est simpliciter malum, sed quod à statu bono in adversum degeneravit. Degenerationis autem varii sunt gradus, non duntaxat ille extremus, quum nihil planè residui est boni; sed etiam intermedii. Quare bonum, quod σαπρόν contrarium est, necesse est contineat ejusmodi gradum bonitatis, qui omnibus σαπρῶ gradibus sit oppositus, nempe in quo nihil omnino reperiatur putredinis. Arbor ergò bona à Domino hîc dicitur, quæ neq; carie vitata, neq; marcida, neq; rancida, neq; vetustate putida; neq; ullo modo putrida, sed per omnia sana, pura & sic perfectè bona. Nam quo jure καρπὸς καλὸς inteligerent Pontificii opera bona, in quibus nihil insit peccati, sed δένδρον ἀγαθόν, in quo tamen non sit nihil σαπρόν, id est, nullum peccatum? Quandoquidem non esset proportio inter δένδρον σαπρόν, arborem putrem, & καρπὸς καλὸς, fructus bonos, quæ inter δένδρον ἀγαθόν, arborem bonam, & καρπὸς πονηρὸς, fructus malos: quam tamen ponit Christus, quando inquit v. 18. Non potest arbor bona fructus malos facere: neque arbor putris fructus bonos facere. Si ergo eadem retinenda est proportio, ut est sanè, si extrema bonitatis perfectio datur in arbore, necessariò quoque extrema bonitatis perfectio concedenda est in fructibus, & ponendi fructus, in quibus nihil sit vitii. Et contra si arbor ponitur ita bona, ut aliquid habeat σαπρόν: etiam fructus ita erunt boni, ut habeant etiam aliquid πονηρόν. Non autem



autem hanc proportionem & collationem facit Dominus, sed illam: ergo necesse est in propositione Majoris & ipsius Christi per arborem bonam intelligi arborem in perfecto bonitatis gradu bonam. Quod ergo quia jam liquidum ac ratum est, & verò terminus hic *arbor bona*, uti diximus, eodem modo, in eadem significatione, in eadem limitatione &c. debet repeti, tanquam Medius in Minore, & cum hominè justificato disponi; necessariò sequitur, illam falsam esse. Nam homo in hac vitâ, quantumvis per gratiam justificatus, nullus est in hoc perfectionis gradu, qui omnibus $\tau\delta\sigma\alpha\pi\epsilon\delta$ gradibus sit oppositus, nimirum in quo nihil sit vitii sive peccati; & sic perfectè sit bonus.

LXXI. Si autem per arborem bonam Matth. 7. non intelliguntur justificati, qui ergo? Textus satis perspicuus ac facilis est. Loquitur enim & agit eo loci Christus de Pseudoprophetais & falsis Doctoribus. Quare per arbores designat doctores: & per bonas arbores Orthodoxos, per putridas Pseudoprophetas: docetq; certis signis illos discernendos esse. Ea verò signa sunt fructus, è quibus iudicium fiat de arbore, hoc est, de doctore sive concionatore. Per fructus autem non intelligit Christus vitam & mores. Fieri namq; potest, ut quis doctor Ecclesie Orthodoxam doctrinam tradat auditoribus, atque ipse interim improbitate vitæ diffluat. Sic Judas, qui fur erat, Evangelium salutariter prædicavit aliis. Ut ergo fructus pomi sunt poma, ut cerasi, cerasa, ut piri, pira &c. Sic Doctoris fructus sunt Doctrina. Ergò ut pirus, ut cerasus &c. est bona vel mala, sic quoque pira, cerasa &c. Et ut Doctor est bonus vel malus, id est, orthodoxus vel hæreticus, sic quoque ejus doctrina est bona vel mala, orthodoxa vel hæretica. Certum ergo est, quod valdè impertinenter locus hic Matthæi, ad quæstionem, de qua agimus, probandam, sit adductus.

LXXII. Quod attinet probationem Minoris, respondeamus, illam nihil planè probare. Quandoquidem aliud est affirmare hominem justificatum esse arborem bonam, sive rectè conferri cum arbore bonâ simpliciter: & aliud est affirmare

hominem esse arborem bonam, ut ea describitur, & homo cum arbore bona confertur *Matth. 7. v. 17. & 18.* Quia itaque prædicatum Minoris debet intelligi in eo sensu, in quo positum erat loco subjecti in Majore, cum sit medius terminus; ibi verò collatio & Metaphorica hæc denominatio desumpta est ex loco allegato Matthæi, & in illa significatione ac modo, ut ibi à Christo adhibetur & usurpatur: Necessum ergo est, ut in eadem significatione ac limitatione modoque retineatur in minore.

LXXIII. Etiam si ergo concedamus argumenta ad probandam Minorem à Becano adducta probare hominem justificatum esse arborem bonam, vel rectè conferri posse cum arbore bona: Non tamen propterea statim probant hominem justificatum esse arborem bonam, vel cum arbore bona conferri, ut homo confertur cum arbore bona *Matth. 7. v. 17. & 18.* Quod verò probare debebant.

LXXIV. Omnia igitur, quæ à Becano adducuntur, probant quidem Justificatos arboribus bonis comparari, proindeque arbores bonas Metaphoricè dici posse, sive esse, sed non perfectè bonas. Aliàs enim rursus sequeretur, nunquam quemquam bonum peccare unquam: Quod est absurdum & contra omnem experientiam. Nulla ergo est consequentia, Justificati in se habent Spiritum Sanctum habitantem: Ergo sunt perfectè boni, & errare vel peccare non possunt. Quandoquidem quæ Spiritus Sanctus in illis operatur bona, non immediatè producit, sed mediantibus viribus humanis, externis & internis, quæ multis & magnis imbecillitatibus infestantur. Non autem sunt damnabiles fructus hi, quia sunt justificatorum opera, in quibus omnes imbecillitates carnis, defectusque, qui in operibus illis bonis contingunt, teguntur: Deo quoque sunt grati, non quidem quia sunt talia opera: sed quia sunt talis personæ opera, quæ justificata, Deoque reconciliata, proindeque sanctificata est: Sanctificatâ autem personâ, & in gratiam à Deo receptâ, sanctificata quoque sunt opera & Deo grata, licet in se defectus non exiguos habeant. Cætera ludicra sunt & responsione indigna.

LXXV. Pergit Becanus §. 5. ad exempla: *Accedunt & inquit exempla, præsertim Job & Davidus, qui præclara suorum operum testimonia habent*

habent in sacris literis, ut Job. 1. v. 22. In omnibus his non peccavit Job labiis suis, nec stultum aliquid contra Deum locutus est. Et c. 2. v. 3. Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit illi similis in terra, vir simplex & rectus, & recedens à malo & adhuc retinens innocentiam? Et Psal. 7. v. 9. Judica me Deus secundum justitiam meam super me. Et Psal. 16. v. 3. Probasti cor meum & visitasti nocte, igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas. Et Psal. 17. v. 22. Custodivi vias Domini, nec impiè gessi à Deo meo. Et Psal. 118. v. 116. Fecisti iudicium & justitiam, non calumnientur me superbi. Quid ad hæc dicitur Calvine? Job non peccavit labiis suis: & tu affirmasti omnia verba esse damnabilia? Job recedit à malo & retinet innocentiam: & tu clamas mereri justam opprobrii mercedem? Deus non invenit iniquitatem in corde Davidis, & tu nihil ibi reperis, quam damnabile? David non gessit impiè, sed fecit iudicium & justitiam; & tu audes eum calumniari? forsan ad te respexi, quando dixit; Non calumnientur me superbi.

LXXVI. Exempla primùm Davidis & Jobi quod attinet, respondemus 1. distinguendo inter sententiam districti iudicii divini, & inter testimonium indulgentis misericordiae & paterni affectus. Sic David, Jobus & quidam alii nominantur justis & perfecti, & à malo recedentes, & custodientes legem, & denique secundum cor Dei, sed sit hoc affectu paterno misericordiae Dei: quandoquidem districto Dei iudicio ira minimè commendari possent, cum negandum non sit, illos aliquando peccasse. Sic ad eum modum laudatur Job, quod non peccaverit labiis suis, cap. 1. sed rectè locutus sit, cap. 42. quem tamen & non recta locutum esse constat. Pertinet huc illud Augustini lib. de perfectione justitiae, *Posse dici hominem justum, qui perfectioni justitiae plurimum accessit, ita ut ei proximè fieret.* Quo circa minimè absurdum est, aliqua opera dici justa, proindeq; in operibus non peccari, in quibus quis ad non peccandum accesserit, licet non nihil peccaverit. Ut ergo Deus dicit, Jobum non peccasse labiis suis &c. ita illud ipsum nos minimè negamus.

LXXVII. Hinc porrò facile erit respondere ad allegata loca: Ubi David dicit, *Judica me, Deus, secundum justitiam meam, & secundum innocentiam super me.* Nam ex misericordia Dei & paterno ejus erga fideles affectu oritur iudicium discretionis: Ut

rursus distinguere possimus inter iudicium Dei districtum, quo quis absolute & secundum se ex præscripto legis à Deo iudicatur: & iudicium discretionis, quod à misericordiâ fluens fideles discernit ab impiis. David ergo non postulavit se in illo iudicio districto iudicari: quin potius deprecatus est, & quidem maximâ devotione infirmitatis ac imperfectionis suæ agnitione, ac contritione Psal. 141. *Et non intres in iudicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens: Ut alias contra illud sæpius misericordiam imploravit.*

LXXVIII. Hi ergo loci & similes omnes, de iudicio discretionis intelligendi sunt: Petitur enim in illis, ut Deus velit iudex esse inter fidelem & infidelem, allegaturq; non iustitia, qua secundum legem divinam quis iustus pronuncietur; sed illa, qua ratione infidelis & iniqui ac injurii hostis aliquis innocens est. Unde *Jansenius* illum ipsum versum Psalmi 17. ita interpretatus est: *Itaq; quoniam tibi competit iudicium, queso, Domine, ut pro me contra hostes meos facias iudicium, secundum iustitiam meam, qua erga illos me gessi.* Et quando hoc ita & hoc ipso sensu petit David, non appellat iustitiam Dei, ut illa suam iustitiam iudicet, sed solam misericordiam. Hinc in hoc ipso Psalmo 17. conjungit hanc suam iustitiam, & solam Dei misericordiam. Postquam enim prolixè proposuit illam, tum statim: *Mirifica, inquit, misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te.* Et Psal. 27. v. *Ego autem innocentia mea ingressus sum: redime me, & miserere mei.* Ubi rursus innocentiam, & sic iustitiam suam respectu hostium, & misericordiam Dei conjungit; ut & aliis multis locis. Quare David illis in locis nequaquam opera sua tanquam perfectè iusta prædicat, sed tantum iusta nuncupat in comparatione & respectu inimicorum, contra quos nihil injustè egerat: interim se Deo suo peccasse non negat, sed potius humilimè agnoscit, proptereaq; ad misericordiam non iustitiam appellat.

LXXIX. Restat adhuc §. ultimus nempe 6. hujus questionis. Hinc jam manifestum est, quàm falso dixerit idem *Calvinus*, legem DEI esse impossibilem. Nam certè possibilis homini iusto, sancto, innocenti, qui recedit à malo, qui retinet innocentiam, qui facit iudicium & ju-

& justitiam, in quo non est inventa iniquitas, nec impiè gessit à Deo suo. Et sanè si impossibile esset, cur eam Deus Optimus nobis imponeret: Cur clamat Christus, Matth. 11. v. 30. Jugum meum suave est, & onus meum leve? Cur Apostolus: Mandata ejus gravia non sunt? Cur Evangelista: Erant ambo justis ante DEUM, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela? Rectè Augustinus lib. 2. de peccator. meritis & remissione cap. 3. Non preciperet Deus aliquid, quod esset humana impossibile voluntati. Et cap. 6. Dubitare non possum, nec DEUM impossibile aliquid homini præcepisse, nec DEO ad opitulandum & juvandum, quo fiat, quod jubet, impossibile aliquid esse.

LXXX. Respondemus r. non tantùm Calvinum, sed Lutherum quoque, & nos Lutherum sequentes statuere, Legem Dei servatam impossibilem esse, moti auctoritate non Lutheri, sed Scripturæ Sacræ. Quandoquidem quæstio hæc ab ipsis Apostolis in Concilio Hierosolymitano mota, ventilata, & in hunc modum definita fuit: Quid tentatis Deum imponere jugum cervicibus discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus. Act. 15. v. 10. & Rom. 8. v. 1. inquit Paulus: Impossibile est legi, ut quempiam justificet, quia infirmatur per carnem. Et ad Gal. 3. v. 21. *Ἄρρηδον* affirmat Apostolus, quod non data sit Lex, quæ possit vivificare. Non quod per se hanc *ἀδυναμίαν* patiatur; sed per accidens, quod nemo mortalium legi perfectam obedientiam præstare queat.

LXXXI. Deinde nos ex Scriptura hoc ita asserentes non intelligere impossibile absolutè ac simpliciter, sed tantùm conditionatum & *κατὰ τὴν*. Nam absolutè illud est, quod ab ipsa creationis & conditionis naturâ omni possibilitate caret. Quomodo si juberetur homo piscium more intra aquas vivere, vel instar avium in aëre volare. Conditionatum verò & *κατὰ τὴν* est, cum positâ aliquâ conditione id redditur impossibile, quod antea erat possibile. Hoc modo, inquam, legem impossibilem dicimus ac statuimus. Conditio autem illa, non a Deo conditore pendet, sed à corruptione generis humani, quæ non per se illi inest, sed duntaxat forinsecus accidit. Si enim homo mansisset in statu integritatis, lex possibilis fuisset: uti etiam omninò
ante

ante amissam imaginem Dei possibilis fuit: Mutato autem & corrupto homine, lex propterea neque mutari, neque corrumpi potuit: quippe quæ æterna ac immota Dei voluntas est.

LXXXII. Tertiò benè facit Becanus, quod distinguat inter homines fideles sive renatos, & non renatos. His impossibilem esse legem non est in controversia: Sed quæstio est de renatis ac justificatis. Et de his quidem negamus contra Becanum & Papicolas omnes, quod legem Dei perfectè implere, & justitiam & iudicium ad eò perfectè facere queant, ut in illo simpliciter nulla inveniatur iniquitas, sed planè ab omni recedat malo. Aliàs verò largimur hos implere legem duobus modis: 1. Imputativè, quatenus illis obedientia Christi, legi præstita, per fidem imputatur. 2. Inchoativè, quatenus non quidem ex propriis viribus, sed Spiritus Sancti gratia & operatione inchoat legi præstare obedientiam: quæ verò, quia imperfecta est, neque ex parte, neque ex toto satisfacit legi, quippe quæ perfectam postulat obedientiam. *Qui enim in uno deficit, omnium preceptorum reus est, Jacob. 2. v. 10.* Interim verò Deo placent propter Christum, quem justificati verà fide induerunt.

LXXXIII. Quarto frustrà nobis objicit: *Si lex esset impossibilis, frustrà Deus optimus eam nobis impneret.* Negamus consequentiam. Nam non sequitur; Lex divina non habet hunc usum, ut in hac vita impleri queat; Ergo planè frustrà à Deo mandatur. Quandoquidem datur adhuc duplex usus ac finis: Politicus & Spirituális.

LXXXIV. Politicus est, ut homines feri & indomiti coercantur disciplinâ externâ 1. Tim. 1. v. 9. *Lex justo non est posita, sed injustis & non subditis, impiis & peccatoribus, sceleratis & contaminatis, patricidis & scortatoribus, deprecatoribus, plagariis, mendacibus, & perjuris, & si quid aliud sanæ doctrinæ averfatur.* Et si Socrates apud Clem. Alexandr. lib. 4. Strom. de constitutionibus politicis affirmare audeat: *ὅτι οὐκ ἐνεκα ἀγαθῶν ἐστὶν αἰνέουσα*: legem non propter bonos factam esse: multò magis post lapsum in Ecclesia statuendum erit, legem non justis, sed injustis positam esse. Hinc Apostolus loco allegato ait *κείται*, quasi dicat,

dicat, legem hominibus impiis in eum bere, eosque oneris instar
premere ac urgere, ut saltem formidine pœnæ in officio reti-
neantur.

LXXXV. Spiritualis est: *Ἐλεγυλικός & Διδαιλικός*. Ille
est in hominibus justificandis, ut illi per legem ad agnitionem
peccati perveniant, quod fit observatis quatuor hisce gradibus.
I. Manifestat peccata, eaque non modo enormia, sed occulta
quoque & rationi incognita. Rom. 3. v. 20. *Per legem cognitio pec-*
cati. II. Exaggerat horrendum *βδέλυγμα* & intolerabilem irā
Dei adversus peccata, Rom. 4. v. 15. *Lex iram operatur.* Rom. 7. 13.
III. Non tantum peccatum *θεωρητικώς* recenset & iram com-
minatur, sed corda quoque hominum percellit, illisque sevissi-
mos terrores incutit, Hebr. 12. v. 21. *Psal. 6. v. 2. 3. Psal. 38. v. 2. 3. 4. 10.*
2 Cor. 15. v. 56. IV. Tandem nobis omnem consilii atque auxiliū
humani spem penitus intercidit, ut tandem, urgente necessitate
summā, ad Christum Mediatorem compellamur: atque ita Lex
verē noster fiat *Pædagogus* in Christum, ut ex fide justificemur.
Gal. 3. v. 24.

LXXXVI. *Διδαιλικός* est in hominibus renatis, ut illi,
quomodo in vera pietate ambulare debeant, lege doceantur,
Mich. 6. v. 8. *Indicavit tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus re-*
quirat à te. Ezech. 20. v. 19. *Gal. 5. v. 13. Vos in libertatem vocati estis, fra-*
tres: tantum ne libertatem in occasionem carnis, sed per Charitatem servi-
te invicem. Omnis enim lex in uno sermone impletur: Diliges proximum
tuum sicut teipsum. I nunc Becane, & calumniari perge, legem, si
servatu impossibilis sit, frustra Deum optimum eam nobis im-
ponere.

LXXXVII. Dictum *Matth. 11. v. 30. & Joh. 1. Epist. cap. 5. v. 3.* quod
spectat, distinguenda non confundenda esse respondemus ju-
gum & mandata Christi: & jugum sive mandata legis. Jugum
& mandatum Christi non est impletio Legis (illud enim est ju-
gum legis) sed obedientia inchoata, conjuncta cum remissione
peccatorum. Est ergo ejusmodi mandatum, quod exigit qui-
dem obedientiam, ac proinde operum sanctitatem, sed statim
promittat remissionē eorum, quæ admissa fuerunt contra ope-
rum

¶

rum

rum justitiam sive legem moralem. De hoc autem mandato lo-
qui Johannem ex eadem Epistola cap. 3. v. 23. patet: *Hoc est praece-
ptum ejus, ut credamus, nomini filii ejus Jesu Christi, & diligamus alii alios,
sicut mandavit nobis.* Quod verò necessariò præsупponit id ipsum,
quod nos disputamus de necessitate implendæ legis. Nam rur-
sus Johannes 1. Epist. 2. *Filioli, inquit, hæc scribo vobis, ne peccetis:
Quod si quis peccarit, advocatum apud Patrem habemus, Jesum Christum
justum.* Et in eadem Epistola cap. 1. v. 8. *Si dixerimus, nos peccatum
non habere, nosmetipsos fallimus, & veritas non est in nobis.* Si ergo ad
absolutum impletionis actum sensu Pontificio verba ista cap. 5.
v. 3. referre velis, turpis contradictionis Johannem insimules
necesse est. Hinc ergo facile intelligitur, cur Christi jugum le-
ve; legis verò jugum grave sit ac verè censeatur. Nam legis est
justificare per opera, quæ difficillima, quia impossibilia: Chri-
sti autem est justificare per gratiam, quæ facilis, quia possibilis,
& unicuique offertur.

LXXXVIII. Dicitur ex *Luc. 1. v. 6.* allegatum, loquens de Za-
chariæ & Elisabethæ uxoris pietate, quod fuerint justi coram Domi-
no, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus inculpate, rectè si
intelligatur, nihil contra nos concludit. Quandoquidem justii
fuerunt, non absolute, sed coram Domino, nempe justificati
gratis per Christum, sive benedictum semen, quod ardentissi-
mis votis expectabant, & prætereà sedulo pietati vacantes, idq;
secundum Dei verbum, non secundum hominum traditiones,
quibus alii sacrifici dediti erant. Per mandata enim intelligun-
tur præcepta moralia: per justificationes, ceremonialia & sacri-
ritus, in quibus Judæi, præsertim Sacerdotes, multum versaban-
tur: quæ sanè ipsum Christum cum suis beneficiis figurabant,
credentibusq; re ipsa exhibebant, proindeq; revera ipsius, non
sua efficacia justificabant. Inculpati autem fuerunt coram ho-
minibus, non coram Deo, ut Paulus exeruit *Rom. 4.*

LXXXIX. Aliàs Zachariam non fuisse à peccatis immu-
nem duplici ratione ex hoc ipso Evangelistæ Lucæ textu proba-
tur. Primum quia dicitur fuisse Sacerdos: ut rectè infert *Au-
gustinus lib. de peccatorum meritis cap. 3.* Et Epistola 93. *Zacharias, inquit,
fuit*

fuit peccator, quia fuit Sacerdos. Sacerdotum n. officium in Veteri Testamento fuit, sacrificare pro peccatis, tum populi, tum suis &c. Deinde demonstrat ipsum peccatorem diffidentiam, ob quam etiam linguae usu aliquandiu privatus fuerat.

XC. Ad dicta Augustini quod attinet, solvuntur illa dictione inter impossibile absolute sive per se, & impossibile secundum quid sive per accidens. Quandoquidem Augustini mens est, ut & ceterorum Patrum, legem impossibilem negantium, praecepta etiam si à nobis impleri non possint; non tamen propterea esse impossibilia. Atque hanc esse sententiam dictorum ex Augustino allegatorum, certum est ex scopo disputationis; quippe directae contra Pelagianos, asserentes liberi arbitrii naturales facultates, easque possibilitate legis concludentes hoc modo: *Nulla lex est impossibilis: Ergo homo potest legem divinam prestare.* Augustinus antecedens concedit, & consequens negat, praesupponens nullum hominem sine peccato esse in hac vita. Verum, quomodo consequens non erit verum ac necessarium, si antecedens non debet intelligi de impossibilitate secundum quid? Nam si non secundum quid, tantum verum est; legem esse impossibilem; tum lex concedenda est absolute possibilis: Si verò hoc concedatur; consequentia Pelagianorum est necessaria, & nullo modo ab Augustino quit negari.

XCI. Deinde idem ex aliis locis planum est. Sic enim scribit de natura & Gratia cap. 43. (quem etiam locum pro se allegare solent Papistae). *Non igitur Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis.* Nota: Deus, inquit, non jubet impossibilia. Quid ergo? jubendo monet & facere, quae possis, & petere quae non possis. Observa: in his verbis expressè nostra continetur distinctio. Negavit quidem Pater, mandati impossibilia; interim concedit, aliquid nos facere posse, & aliquid non posse. At verò certum est, id, quod facere possumus, nobis esse possibile: & id, quod facere non possumus, nobis esse impossibile. Nega ergo datam nostram distinctionem; & dic; annon Augustinum contradictionis infimules: Nam si illa non concedatur, necesse omnino est, si
possi-

possibilia sint omnia, etiam nos omnia posse: Si ergo hoc dicit Augustinus, & deinde asserit, nos quædam non posse, sibi contradicit: Sic in libro de Gratia & libero arbitr. cap. 6. scribit: *Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, cum dicunt: Non juberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri.* En hæc olim Pelagianorum obiectio, jam Pontificiorum est. Respondemus ergo Pontificiis, verbis Augustini, quibus olim Pelagianis respondit: *Quis hoc nesciat? Sed ideo jubet aliquis, quæ non possumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus.* Ecce tibi: Non mandat Deus, quæ ab homine fieri non possint; & nihilominus mandat, quæ facere non possumus. Hæc, negata nostrâ distinctione, conciliet Jesuita, si potest.

XCII. Tandem opponimus Augustinum Augustino, scribentem Epist. 29. quæ est ad Hieronymum: *Virtus est Charitas, quæ id, quod diligendum est, diligitur: hæc in aliis major, in aliis minor, in aliis nulla est: plenissima verò, quæ jam non possit augeri, quamdiu hic homo vivit, est in nemine: quamdiu autem augeri potest, profectò illud, quod minus est, quàm debet, ex vitio est. Ex quo vitio, non est justus in terra, qui faciat bonum & non peccet: Ex quo vitio, non justificabitur in conspectu Dei omnis vivens: Propter quod vitium, si dixerimus, quod peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est: Propter quod etiam, quantumlibet profecerimus, necessarium est nobis dicere, Dimitte nobis debita nostra. Idem de Perfectione Resp. 15. Peccatum est, cum vel non est Charitas, vel minor est, quàm debet:*

sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit.

F I N I S.



99 A 6900

ULB Halle

3

002 622 092





86

Retra

VD 77







26

COLLEGII SECUNDI
In Augustanam Confessionem

DISPUTATIO XI.

continens

ANTIΘΕΣΙΝ ARTICULI IV.

DE QUÆSTIONE

An omnia bona Opera
hominis Justificati sint pecca-
ta mortalia,

Proposita

In inclutâ Electorali Academiâ VVittebergensi,

PRÆSIDE

JACOBO MARTINI, SS. Th.

D. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito:

RESPONDENTE

M. CHRISTOPHORO BULÆO

Kötzschenbroda Misnico.

Habebitur in Auditorio Collegii Veteris

Ad diem 8. Novembr.

WITTEBERGÆ,
Typis Hæredum SALOMONIS AVERBACH,
ANNO M DC XXIX.

